





213.





## Disputatio XXII.

D E

P E T I T I O N E H E R E D I T A T I S .

Q V A M

*Diuino auspicio,*

P R A E S I D E

C L A R I S S I M O C O N -

S V L T I S S I M O Q V E V I R O ,

D . N . H E N R I C O B O C E R O . I . V . D . E X -

*cellentissimo, Antecessore in inclyta Tubingensium Acade-  
mia celeberrimo, praeceptore suo  
colendo,*

O R D I N A R I I E X E R C I T I I G R A -

*tiâ, tempore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate  
defendere conabitur*

S E V E R I N V S A M A N D V S

*Gabelhouer, Gracensis Styrius.*

T V B I N G Æ

*Apud Georgium Gruppenbachium.*

A N N O M . D C .

U U U



*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'CLAARISIMO' and 'ORDINARI'.]*





I.

# Disputatio XXII.

## DE PETITIONE HEREDITATIS.

### THESIS. I.



VCCEDIT PETITIO HEREDITATIS, quæ est actio in rem (a) proindeq; vindicatio, (b) quâ defuncti heres delatam sibi hereditatem (c) & à se agnitam, (d) ab eius possessore, qui pro herede, vel pro possessore eam possidet (e) in iudicio petit (f)

a) *l. sed etsi 25. §. Petitio ff. h. t.* (b) *l. si scripti 9. C. eod.* (c) *defertur hereditas testamento, vel lege ab intestato, vt ostendimus sub Class. 2. disputat. 1. th. 9.* (d) *agnoscit hereditatem iure ciuili suus heres immisione, extraneus aditione, vel pro herede gestione, vt traditum est sub eadem Classe 2. disputat. 10. Iure autem pratorio, petitione bonorum possessionis, de qua sub eadem Classe 2. disputat. 12.* (e) *l. regulariter. 9. & l. pro herede 11. in prin. & §. vlt. ff. h. t.* (f) *§. 1. instit. de actionib. de requisitis huius actionis. vide Mynsing. respons. 10. num. 2. 3. & 4. decad. 1. & respons. 12. num. 2. 3. & 4. decad. 2.*

II.

Estq; triplex: vna, ciuilis petitio hereditatis: altera petitio hereditatis possessoria: tertia, fideicommissaria hereditatis petitio.

Ciuilis petitio hereditatis vocatur etiam directa actio, siue petitio hereditatis. *l. 3. §. Missum. 13. ff. de Carbon. edict. Rubr. ff. de possessor. heredit. petit. & l. 2. & Rubric. ff. de fideicommissaria hereditatis petit.*

III.

Ciuilis petitio hereditatis, quæ simpliciter petitio hereditatis dicitur (a) est, qua heres, qui iure ciuili (b) delatam sibi hereditatem agnouit, à possessore eam sibi restitui (c) petit. Estq; bonæ fidei (d)

a) *Tot. tit. ff. & Cod. de petit. heredit.* (b) *l. 1. & l. 2. ff. de possess. heredit. petit. & l. 2. ff. de fideicommiss. heredit. petit.* (c) *l. licet. 10. §. 1. ff. de hereditat. petit.* (d) *l. vlt. in fin. C. h. t. & §. actionum. Instit. de action.*

IV.

Circa hanc autem quinquepartita inspectio occurrit. 1. quibus competat. 2. aduersus quos stringatur. 3. quibus de rebus concedatur. 4. Cuius rei gratiâ moueatur. 5. De possessione Rei indemnitate.

A 2

Compe





## V.

Competit verò petitio hereditatis heredi, cuius est hereditas, quam & suam esse, & ad se pertinere ex testamento, vel ab intestato intendit.

*l. 3. l. licet. 10. ff. h. t. & l. 1. in pr. ff. si pars hered. pet.*

## VI.

Sed quæritur, an exprimere in libello actor teneatur ex testamento, vel ab intestato hæres sit? Et non teneri pleriq; sentiunt. (a) & quidem rectè (b)

a) *Quos sequitur VVesenbec. in parat. h. t. num. 8. & 12. & Ioan. Schneid. ad §. actionum. num. 12. Instir. de Act. (b) arg. l. si. sine. 9. §. illud. vbi Bart. & alij. ff. de interrogat. in iure fac. Sufficit actori in libello exprimere, quòd sit heres, in termino probationis, cum docet, heredem se esse, manifestum fit, quo iure heres sit.*

## VII.

Neq; refert ex asse institutus sit heres, vel ex parte,  
*d. l. 1. in pr. & §. 1. d. l. licet. 10. §. 1. & tot. t. si pars heredit. pet.*

## VIII.

Datur quoq; heredis successoribus, (a) cum & heres heredis intelligatur esse heres testatoris, atq; etiam illius, qui intestatus decessit, (b)

a) *l. 3. ff. h. t. (b) l. vlt. C. hered. Inst. l. antiquitas. C. de usufruct. l. Sempronius. 26. §. idem euenit. ff. de usu & usufruct. leg. l. sciendum est. 70. in pr. ff. de verbor. signif. & l. qui per successionem. 194. ff. de verbor. signif.*

## IX.

Quin etiam competit hæc actio emptori hereditatis (a) & quidem ex venditoris cessione, & iure venditoris: utilis etiam absq; cessione. (b)

a) *l. ei qui. 54. in princ. ff. h. t. (b) l. emptor. 5. C. de heredit. vel act. vendit. l. vlt. C. quando fiscus vel priuatus. l. 1. C. de Oblig. & Act. & l. 3. C. de nouat.*

## X.

Quemadmodum autem heredi ad obtinendam victoriam non sufficit, si in iudicio dicat heredem se esse defuncti, sed id negante Reo, probare (id quod primum huius actionis requisitum est,) necesse habet, & delatam sibi esse hereditatem testamento: vel lege ab intestato, seq; eam agnouisse intra legitimum tempus: sic & heres heredis



heredis docebit idem, non modò de eo, cuius est heres, sed etiam de seipso: Tum etiam emptor hereditatis probabit, & hereditatem eam ad fiscum venditorem pertinuisse, & eam se à fisco emptionis titulo comparasse.

*Semper enim auctori, & qui dicit, incumbit probatio. l. 2. ff. de probat. l. auctor. 23. C. d. t. l. 4. C. de edendo. Et in terminis de hac actione docet in specie Mynsing. Resp. 10. num. 2. & 4. decad. 1. & Resp. 12. num. 4. decad. 2. & Donel. lib. 19. Comment. cap. 12. pag. 325. sub num. 40.*

## XI.

Competit autem hæc actio aduersus eum, qui rem hereditariam omnem, vel etiam minimam, vnam, vel plures, pro herede, vel pro possessore, possidet, (a) aut saltem tenet. (b) Atq; hoc alterum est requisitum petitionis hereditatis, quod itidem probare actor tenetur. (c)

a) *d. l. Regulariter. 9. & l. seq. & d. l. pro herede 11. in princ. & in fin. ff. h. t. l. 2. C. eod. tit. l. 1. & tot. tit. ff. si pars hered. pet. (b) l. si à domino. 36. S. 1. ff. eod. tit. fac. l. officium 9. ff. de rei vindicat. (c) Mynsing. dict. Respons. 10. num. 4. decad. 1. & respons. 12. num. 4. decad. 2.*

## XII.

Pro herede autem possidet, qui putat se heredem esse, tametsi heres non sit, aut scit, se heredem non esse, contendat tamen heredem se esse, & petitori faciat hereditatis controuersiam. Pro possessore possidet, qui interrogatus cur possideat, responsurus sit, quia possideo, nec vllum possessionis titulum iustum docet, nec docere potest, quæ alis est prædo, & fur.

*d. l. pro herede. 10. & duab. ll. seqq. ff. h. t. Donel. dict. lib. 19. comment. cap. 4. pag. 329. in fin. & pag. seqq. quem vide.*

## XIII.

Titulus autem hic, pro possessore, cæteris omnibus titulis hæret, & quasi iniunctus est: veluti titulo pro emptore. Nam si à furioso emero sciens, pro possessore possideo. Item titulo, pro donato, inest, vt puta si coniunx coniugi quid donet. Tum etiam titulus pro dote recipit hunc pro possessore titulum, vt si à minore 12. annis nupta mihi quasi dotem sciens accepi. Et si legatum ex falsa causa mihi solutum est, utiq; pro possessore possideo, & vt summatim dicam, quilibet inanis titulus pro possessore appellatur.

*l. nec vllam. 13. S. 1. ff. h. t. & ibidem Cuiac.*

uuu 3

Si



XIV.

Si quis procurator absentis nomine possideat hereditatem, cum sit incertum, an ille ratum habeat, absentis nomine petenda ab eo hereditas, ipsius verò nequaquam: quia non videtur pro herede, vel pro possessore possidere, qui contemplatione alterius possidet. Si tamen absens ille ratum non habeat, procurator quasi prædo est, proindeq; suo nomine tenetur.

*l. nec vllam. 13. §. si quis 12. ff. de heredit. petit.*

XV.

Sunt qui neq; possideat, neq; tenent rem hereditariam, iuris tamen interpretatione pro possessoribus habentur, proindeq; hac actione tenentur: ut sunt, qui se liti obtulerunt (a) item qui dolo rem hereditariam possidere desierunt. (b)

a) *l. qui vi se liti obtulit. 45. ff. h. t. l. si is qui. 7. ff. de rei vindic. (b) d. l. nec vllam. 13. §. si quis. 12. l. sed et si lege. 25. §. perinde 8. ff. h. t. de petit. heredit. & l. qui petitorio. 36. in fine principij, ff. de rei vindic. vide Donel. lib. 19. Comment. cap. 12. pag. 327. & seqq.*

XVI.

Et licet, qui dolo possidere desijt, condemnatus sit, attamen qui possidet, non liberatur, cum quo tamen si prius actum sit, atq; hic corpus, aut litis æstimationem præstiterit, ea res illi, qui dolo possidere desijt, prodest.

*d. l. nec vllam. 13. §. pen. ff. h. t. & l. Stichum. 95. §. dolo fecisti. 9. ff. de solut. Cuiac. in lib. 28. quæstion. Papin. pag. 123. & seq. Donel. dict. lib. 19. Comment. cap. 12. pag. 328.*

XVII.

Idem etiam in eo obtinere dicimus, qui se liti obtulit.

*Per l. si is. 7. ff. de rei vindicat.*

XVIII.

Adhæc peti hereditas potest à iuris quoq; possessoribus, (a) proindeq; à debitore etiam hereditario quocunq;, siue ex contractu, aut quasi contractu, siue ex delicto, aut quasi delicto debitor sit. (b)

a) *d. l. regulariter. 9. l. nec vllam. 13. §. vlt. & l. item 18. §. vlt. ff. h. t. (b) d. l. nec vllam. 13. §. vlt. & l. seq. l. quod si. 16. §. non solum. ff. eod. tit. l. hæc actio. 13. §. 1. & l. seq. in princ. ff. de seruo corrupt.*

Præte-



## XIX.

Præterea competit hæc utilis actio aduersus bonorum possessorem, (a) fideicommissarium hæredem, (b) & eum, qui à non vero hærede vel emit (c) vel in dotem accepit alienam hereditatem, (d)

a) l. pro herede 11. in fine princ. ff. h. t. (b) d. l. nec vllam. 13. §. idem erit, et §. sed et si retent a. 6. ff. eod. (c) d. l. nec vllam. 13. §. Quid si quis hereditatem. 4. & §. si quis sciens. 8. ff. h. t. l. 2. C. eod. tit. De qua lege vide Donel. lib. 19. Comment. cap. 4. pag. 336. Hotoman. consil. 18. in appendice, & Giphan. in scriptis Commentarijs ad eandem legem (d) d. l. nec vllam. 13. §. Apud Marcellum. 10. ff. eod. tit.

## XX.

Venditor tamen hereditatis alienæ, vt & mulier, quæ in dotem dedit alienam hereditatem, etiam directâ hereditatis petitione tenentur: & emptor, ac maritus utili conueniri possunt actione hac, tunc demum, si non expediat petitori, hereditatem à venditore, vel muliere illa peti, seu si res aliter à venditore, siue muliere salua esse non possit.

d. l. nec vllam. 13. §. quid si quis. 4. & §. Apud Marcellum. 10. ff. h. t. Donel. lib. 19. Comment. cap. 4. pag. 335.

## XXI.

Et licet quis sciens alienam emerit hereditatem, non aliter tamen perueniri ad eum potest, quàm si res à venditore salua esse nequeat.

d. l. nec vllam. 13. §. si quis sciens. 8. ff. eod. tit. Sed obstare videtur præcedenti & huic thesi tex. in l. 2. C. h. t. vide Donel. lib. 19. Comment. dict. cap. 4. pag. 336.

## XXII.

Deniq; competit quoq; hæc actio aduersus heredem eius, qui pro possessore, vel pro herede possedit.

d. l. nec vllam. 13. §. Neratius. 3. & §. heredem autem. 11. ff. h. t. vide Cuiac. lib. 9. Comment. cap. 25.

## XXIII.

Videamus nunc, quibus de rebus petitio hereditatis detur. Et placuit, vniuersas res hereditarias in hoc iudicium venire, siue corpora sint, siue iura, (a) Quin etiam & illud in hanc venit actionem, si culpa sua malæ fidei possessor reus sumptum, quem facere debuit, non fecit, (b) Neq; æs alienum soluit, proindeq; vel vsuræ creuerunt, vel pignora sunt distracta. (c)

a) l. Generaliter. 9. l. nec vllam. 13. §. vlt. & l. item videndum. 18. §. vlt. & l. seq. in princ. ff. h. t. (b) l. si quid. 31. §. sicut. 3. & l. Ei qui. 54. §. vlt. ff. eod. (c) l. non solum. 53. & l. Diuus. 5. in prin. vers. item si futurum. ff. h. t.

Sunt



CLASSIS QUARTÆ

XXIV.

Sunt autem duo corporalium rerum hereditariarum genera, quæ hac actione petuntur: vnum complectitur eas res, quas defunctus tempore mortis habuit (a) alterum continet res, quæ hereditati quæsitæ sunt post mortem eius, de cuius hereditate agitur. (b)

a) *Et hæres propriè dicuntur hereditaria per l. Hereditas 63. ff. de reg. iur.*  
 (b) *de his post agemus.*

XXV.

Prioris generis res in duplici sunt differentia: quædam ad ius defuncti pertinebant, quædam ad eius tantum spectabant periculum.

XXVI.

Ad ius defuncti pertinuisse res dicimus, I. quæ in dominio eius fuerunt, etiam si ab eo pignori obligatæ alicui essent, (a) II. quæ extra dominij ius positæ sunt, ad eas tamen persequendas defunctus specialem in rem actionem habuit, puta hypothecariam actionem, vel actionem publicianam (b) III. In quibus defunctus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem, veluti si iurauerat defunctus, petitoris rem non esse, & decesserit. (c)

a) *l. Eiqui. 54. §. 1. ff. h. t.* (b) *l. Et non tantum. 19. in princ. vers. Et quidem. ff. eod.* (c) *d. l. Et non tantum. 19. §. 1. ff. h. t.*

XXVII.

Ad periculum defuncti spectabant res olim ei commodatæ, vel apud eum depositæ, in quibus custodiam ex bona fide naturæ contractus congruentem debuit.

*d. l. Et non tantum. 19. in princ. ff. h. t.*

XXVIII.

Posterioris generis res hereditariæ in 4. discedunt species, Prima continet res per seruos hereditarios nondum aditæ hereditati quæsitæ.

*l. Per seruum. 32. ff. h. t. Quia in lege duo propositi casus singulares sunt, vnus de petitione hereditatis possessoria, quæ patrono præterito per libertum extraneo herede instituto competit. Alter de petitione hereditatis de inofficioso testamento. Quia autem sententia, in initio illius legis proposita, generalis est, & locum habet alijs etiam in casibus, idcirco Iureconsultus Paulus cum dicit, quod procedit, subaudiendum puto etiam.*

Secunda



## XXIX.

Secunda species complectitur pecuniam omnem ex re hereditaria redactam, quæ triplex est: Pretium rerum ex hereditate distractarum, quod manente emptione, & euictione cessante mansit apud reum (a) Pœna pretij tardius soluti (b) & quod exactum est à debitoribus hereditarijs. (c) cuiusmodi pecuniam omnem etiam consumptam petitori possessor præstare tenetur; bonæ fidei tamen possessor non aliter, quàm si ex ea consumpta pecunia locupletior sit factus. (d)

a) l. Quod si in diem 16. §. 1. l. item veniunt. 20. §. Ait Senatus. 17. l. si & rem. 22. vers. Quia potest. l. Sed etsi. 25. §. Petitio. 18. ff. h. t. Proindeq; & litis æstimatio d. l. Quod si. 16. §. Vnde Iulianus. 2. ff. eod. quippe cum & litis æstimatio emptione faciat. l. 3. ff. pro empt. l. 7. §. 1. ff. de public. in rem act. (b) l. vtrum. 23. §. vlt. ff. de petit. heredit. (c) d. l. Quod si in diem 16. §. 1. & d. l. Sed etsi. 25. §. Petitio. ff. h. t. (d) l. Vtrum. 23. ff. eod. tit. Donel. lib. 19. cap. 14. pag. 336. & seq.

## XXX.

Est autem possessori hereditatis necessaria alienatio hereditariarum rerum, non solum ad æs alienum hereditarium exsoluendum, sed & si impensæ necessariae in rem hereditariam factæ sint ab ipso, vel si res morâ perituræ, deterioresue futuræ sint.

l. Diuus. 5. in fin. princ. l. non solum. 53. & l. Item veniunt. 20. §. Hac aduersus. 12. vers. nisi fortè. & §. Quid si post. 16. vers. Sed si fortè. ff. h. t. n.

## XXXI.

Quæ tamen non ex ipsa hereditate, sed extrinsecus redacta est pecunia, non ad heredem petitorum, sed ad possessorem reum pertinet. (a) Vnde si vi deiectus sit possessor, pœnam ex eo commissam non restituit; vt nec eam pœnam, quam ab aduersario accepit, quod in iudicium non venerit. (b)

a) l. item veniunt 20. §. item non solum 3. ff. h. t. (b) l. At vbi 24. ff. eod.

## XXXII.

Tertia species consistit in rebus causa hereditatis comparatæ, quæ sunt: vt si comparatæ sint à possessore hoc consilio, vt hereditati feruiant, & consilium euentus secutus sit, puta si hereditati ex vsu fuerit, eas res emi.

d. l. Item veniunt. 20. in princ. & §. 1. ff. h. t.

## XXXIII.

Quarta species continet accessiones hereditatis, tum eas quæ

xxx

fiunt



fiunt per consolidationem proprietatis & usufructus, ut si usufructus rei hereditariæ, finitus ad proprietatem redierit (a) tum eas, quæ fiunt per alluionem: (b) Tum etiam eas, quæ partu ancillæ, (c) & fructu continentur. (d)

a) l. fructus. 33. vers. hac ratione. ff. de rei vindic. §. Ne tamen, & §. vlt. Instit. de usufruct. (b) d. l. fructus. 33. vers. hac ratione. ff. de Rei vindic. l. Adeo. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. §. Præterea quod per alluionem. Instit. de rer. diuis. (c) l. item veniunt. 20. §. item non solum. 3. l. Ancillarum. 27. in princ. ff. de petit. heredit. (d) d. l. Item veniunt. 20. §. item non solum. 3. l. sed etsi. 25. §. vlt. & l. Si quo. 41. ff. h. t.

## XXXIV.

Fructuum appellatione, ut in reliquo usu iuris hinc intelligimus omnes obventiones, omnesq; redditus, qui re aliqua percipiuntur, siue ex renascantur, ut animalium foetus, agrorum sata, & arborum fructus, siue ex usu rei redigantur, ut pensiones, & mercedes rerum locatarum.

d. l. sed etsi. 25. §. vlt. & quatuor ll. seqq. ff. h. t.

## XXXV.

Si autem bonæ fidei sit possessor reus, tum eos tantum restituere fructus, per quos factus est locupletior, siue honestè, siue inhonestè eos perceperit (a) Etiam si petitor eos percepturus non fuerat, (b) Malæ fidei possessor omnes præstat, nec solum quos honestè, vel turpiter, puta à lupinario percepit, (c) sed & quos honestè percipere potuit, non autem percepit. (d) Idem etiam de perceptis usuris, quæ vicem fructuum obtinent (e) dicimus, quas etiam bonæ fidei possessor, si ex his locupletior factus sit, reddere cogitur. (f)

a) d. l. sed etsi. 25. §. Consuluit. 11. & §§. seqq. d. l. ancillarum. 27. §. vlt. iunct. l. seq. l. Illud. 40. §. Prædo. 1. & l. si possessor. 52. ff. h. t. Obstare videtur, quoad perceptos inhonestè fructus. l. Generaliter. 5. ff. de usur. Vide Cuiac. in lib. 28. question. Papiniani, pag. 91. & seq. (b) l. cum hereditas. 56. ff. h. t. Cuiac. in tract. ad African. 4. pag. 89. (c) d. l. sed etsi. 25. §. sed & fructus 4. & §. seq. d. l. ancillarum. 27. §. vlt. iuncta l. seq. d. l. illud. 40. §. 1. ff. h. t. (d) d. l. Fructus. 33. ff. de rei vindic. Donel. lib. 19. Comment. cap. 14. pag. 357. Cuiac. in lib. 21. Pauli ad edictum. pag. 327. (e) l. usura. 134. ff. de usur. (f) l. 1. C. de petit. heredit.

## XXXVI.

Et licet ante litem contestatam, aut etiam ante rem petitam, perce-



DISPUTATIO XXII.

percepti sint fructus, attamen etiam non specialiter & nominatim in libello petiti, in restitutionem veniunt, siue mala, siue, locupletior factus, bonæ fidei possessor sit reus.

d. l. Post Senatusconsul. 28. ff. h. t. Cuiac. in lib. 20. Pauli ad edict. pag. 290. & in lib. 21. ad edict. pag. 327. & seq. & Donel. lib. 19. Comment. cap. 13. pag. 343. num. 30. & seq. At secus est in speciali vindicatione corporis cuiusdam, cum res vindicatur à bona fidei possessore: in hac enim præteriti temporis ratio nihil pertinet ad officium iudicis. l. 2. C. de petit. heredit. l. Ædiles. 25. §. item sciendum. 8. ff. de adilit. edict. quamuis secus sit in actione in personam bonæ fidei. l. videamus. 38. §. pen. ff. de vsur. & stricti iuris, item arbitraria actione, si Prætor in formula actionis utatur restituendi verbo d. l. videamus. 38. §. In Fauiana. ff. d. t. Sed ea in speciali in rem actione ad iudicis pertinent officium, quæ post litem contestatam accesserunt, non quæ ante, nisi specialiter sint petita. l. partum. 10. ff. de vsur. Idem dicimus de præiudicijs l. vlt. C. de liberali causa, & actionibus legatorum, & fideicommissorum: in his enim ita demum veniunt fructus & partus, se post litem contestatam, vel post moram percipiuntur, vel edantur. l. 3. §. 1. l. Equis. 8. l. Respondit. 14. in princ. ff. de vsur. l. vlt. C. de vsur. & fructib. legat. Ceterum ante moram vel litem contestatam percepti fructus, vel editi partus, ad compendium pertinent heredis, non legatarij, aut fideicommissarij. l. Si quis bonorum. 23. & l. quesitam 81. §. vlt. ff. de legat. 1. l. is qui. 26. ff. de legat. 3. l. 1. & l. vlt. C. de vsur. & vsufr. legat, Cuiac. in lib. 2. question. Pauli, pag. 53. Ratio autem, fructuum etiam ante litem contestatam perceptorum, cur in petitione hereditatis, non etiam in speciali in rem actione habeatur, exponit Donel. dict. lib. 19. comment. cap. 13. pag. 343. num. 40.

XXXVII.

Sequuntur iura hereditaria, quæ & ipsa hac actione petuntur (a) eaq; vel actiones sunt, vel feuda. (b)

a) l. Generaliter. 9. l. nec vllam 13. §. vlt. ff. h. t. (b) Ut sequentes arguunt theses. Loquimur autem hic de actionibus in personam: Nam in rem actiones corpora hereditaria sequuntur.

XXXVIII.

Actiones hereditariæ quæsitæ sunt, vel ipsi defuncto, cum adhuc viueret, vel hereditati, vel possessori, sed ex re hereditaria. Ipsi defuncto quæsitæ actiones transire ad heredem omnes, exceptis ijs, quæ iniuriam defuncto factam persequuntur, certum est: (a) Proindeq; in petitionem hereditatis veniunt, siue ex contractu, vel quasi, siue ex maleficio, vel quasi maleficio quæsitæ sint. (b)

xxx 2

a) §. non





a) §. non autem. Instit. de perpet. & temporal. act. (b) d. l. nec ullam. 13. §. vlt. l. 14. l. 15. l. 16. in princ. & l. Item veniunt. 29. §. Cum pradiimus. 4. & §. seq. ff. de petit. heredit.

## XXXIX.

Hereditati quæ sitas actiones dicimus, quæ post defuncti mortem, iacenti, & nec dum aditæ hereditati quæ sitæ sunt; quod accidit, si quis negotium hereditarium gesserit, (a) vel rem hereditariam surripuerit, (b) vel quid seruo hereditario promiserit, aut damnum ei dederit. (c)

a) l. Nam & Seruius. 21. §. 1. ff. de negot. gest. (b) l. vel aliquam. 15. ff. de petit. heredit. (c) d. l. Sed vitrum. 14. ff. h. t.

## XL.

Sed ita demùm hac actione conueniri potest debitor hereditarius de actione aliqua hereditaria personali, vt possessorii iuris, si vel faciat controuersiam hereditatis, dicendo se esse heredem, id est, se pro herede possidere (a) vel etiam si non contendat se heredem esse, neq; ex alia iusta causa contendat, se possidere, sed dicat, se possidere, quod possideat, nulla allata causa possessionis, id est, si sciens mala fide ius hereditarium possideat (b)

a) l. si debitor. 42. ff. h. t. (b) l. Regulariter. 9. ibi, qui vel ius pro herede, vel pro possessore possidet. ff. eod. tit. Cuiac. in lib. 20. Pauli ad edict. pag. 284. col. 2.

## XLI.

Possessori ex re hereditaria dicimus quæ sitam actionem, si vi fuerit deiectus possessione hereditaria, vel rem hereditariam venderit, aut precario dederit, vel hereditatem aut res singulas ex causa fideicommissi alij restituerit. Primo enim casu interdictum, vnde vi habet aduersus deijcientem, quo interdicto cedere agenti petitione hereditatis tenetur. (a) Secundo casu competit ei contra emptorem, vel precario rogantem ex vendito actio, vel interdictum de precario, quibus similiter petitori hereditatis cedere iubetur. (b) Tertio casu habet conditionem, quam itidem hac actione conuentus præstare petitori tenetur. (c)

a) l. quod si in diem. 16. §. Iulianus. 4. & l. Illud 40. §. actiones. 2. ff. h. t. (b) De actione ex vendito est tex. in d. l. quod si. 16. §. item scribit. 5. & l. item 20. §. Ait Senatus. 17. ff. eod. De interdicto de precario textus est in d. l. Illud. 40. §. actiones. 2. ff. h. t. (c) d. l. Quod si. 16. §. Idem Iulianus scribit. 7. ff. h. t.

Quod



## XLII.

Quod attinet feuda, communis est interpretum sententia, duobus casibus ea in petitionem hereditatis venire: vnus est, si hereditaria (quæ vocant) fuerunt feuda: (a) alter, si ab eo detineantur, qui nullum habet ius, nullum titulum ea detinendi (b) sed omni casu hac etiam actione feuda rectè peti existimamus. (c)

a) Barthol. Camerar, in repetit. Tit. 55. de prohibita feud. alienat. per Frider. §. Præterea ducatus, pag. 818. Hartman. Pistor. lib. 2. quæstion. quæst. 1. num. 62. Henricus à Rosentb. in Synopsi iuris feudal. cap. 7. conclus. 24. (b) Post alios Molinaeus consil. 18. num. 14. & Henric. à Rosenthal. dict. cap. 7. conclus. 23. (c) per l. Et non tantùm 19. in pr. ff. de petit. heredit. confert rit. 8. §. Rei autem, ibi, vt tanquam dominus possit à quolibet possidente, sibi quasi vindicare, Item ibi, Nam & seruitutem eidem rei debitam petere potest, & retinere. lib. 2. feudor.

## XLIII.

Sed quæritur de seruitutibus, in hanc actionem veniant, nec ne? De prædiorum seruitutibus apertè id negat Paulus Iureconsultus: (a) De seruitutibus personarum Donellus frustra quærit, & affirmat illud (b) quippe cum hæ neq; hereditariæ sint, sed cum persona defuncti extinguantur, (c) neq; hereditati iacenti, & nondum aditæ per seruum hereditarium acquiri possint. (d)

a) d. l. Et non tantùm. 19. §. vlt. ff. b. t. (b) dict. lib. 19. Commentar. cap. 13. pag. 247. (c) §. finitur. Instit. de vsufruct. (d) l. vsufructus. 26. ff. de stipulat. seruor.

## XLIV.

Similiter acris est controuersia, an pro legitima consequenda moueri petitio hereditatis possit, nec ne? Nos probare negantium opinionem nihil dubitamus, si is petat legitimam, qui heres scriptus non est, nec ab intestato heres esse cupit: Tùm quia legitima non est pars hereditatis, (a) sed debitum ex hereditate præstandum: (b) Tùm quia petitio hereditatis soli heredi competit, (c) tùm etiam quia legitima ab herede præstanda est, (d) cùm tamen petitio hereditatis contra eum, qui heres non est, stringatur. (e)

a) Hereditas enim onerosa est, sed legitima sine onere. l. omnimodò. 30. ibi. ad implendam eam sine grauamine vel mora. l. Quoniam in prioribus. 32. C. de inoffic. testam. Vnde quot a bonorum, non hereditatis quot a dicitur, Cagnol. ad l. Papinianus. §. §. Quarta. num. 10. & seq. Viui. lib. 1. commun. opin. in lit. L. verb. legitima, num. 3. Boerius decis. 24. num. 12. Eman. Soarez. in thesaur. receptar.

xxx 3

sentent.



sentent. lit. L. num. 63. (b) l. Papinianus 8. §. Vnde. ff. de inoffic. test. l. pen. in princ. C. d. t. l. si totas. §. ibi, debitum bonorum subsidium. C. de inoffic. donat. Nouel. 1. cap. 1. §. 1. ibi, tantum accipiat solum, quantum lex ei dari secundum quartam ab intestato concedit. (c) per tex. thesi 5. adscriptos. (d) Nou. 115. cap. 5. ibi, Quicquid autem minus eis legitima portione relictum est, hoc secundum nostras alias leges ab heredibus impleri. & d. l. Omnimodò 30. C. de inoffic. testam. (e) per textus thesi 11. & 12. appostos.

## XLV.

Quid verò si institutus quis sit heres, in sola legitima sua, nunquid petitione hereditatis eam consequi poterit? Cùm hoc casu legitima propter institutionem portio hereditatis sit, nihil dubitamus, quin actione hac peti possit ab eo tantum, qui pro herede, vel pro possessore eam possidet. (a) Sed à coherede petitur duntaxat familiæ eriscundæ actione, (b) quamuis Baldus etiam contra coheredem petitionem hereditatis competere sentiat, (c) qui idem vtramq; hanc actionem nulla adhibita distinctione ei tribuit. (d)

a) Quia, vt supra diximus, hæc actio heredi competit, contra eum, qui pro herede, vel pro possessore possidet, & competit etiam ei, qui pro parte heres est, tot. tit. ff. si pars heredit. pet. (b) per l. 2. in princ. & §. 1. & tot. tit. ff. famil. erisc. (c) Ad l. si quis. num. 4. C. de inoffic. test. (d) ad l. vlt. num. 38. C. de edict. D. Had. toll.

## XLVI.

Est & illud hic generaliter notandum, quòd etiam res, quas post iudicium acceptum reus possidere cœpit, hac actione, & iudicio continentur.

l. 4. l. si quo tempore. 41. ff. h. t.

## XLVII.

Vnde licet reus tempore accepti iudicij nihil omninò rerum hereditariarum possideat, id tamen quod postea cœpit possidere hac actione & iudicio continetur.

l. Item videndum. 18. §. 1. ff. h. t. facit l. sin. autem. 27. §. 1. ff. de rei vindicat. & l. Tigni. 7. §. si quis non ff. ad exhib. l. 1. §. Non tantum. ff. depositi. l. Questam. in princ. ff. de pecul.

## XLVIII.

Quin etiam malæ fidei possessor de rebus, quas possidere etiam ante litem contestatam desijt, hac actione tenetur, siue dolo, malo

cas



cas possidere desierit, (a) siue culpa, (b) siue casu fortuito, modò tamen hoc casu petitor eas distracturus erat. (c)

a) *l. sed et si. 25. §. Quod ait. 2. & §. seq. §. De eo. 5. & §§. seqq. ff. h. t.* Dolus enim in omni iuris parte pro possessore est. *l. Qui dolo. 131. ff. de reg. iur.* (b) *d. l. sed et si. 25. §. 2. vers. Sed & culpa. ff. h. t.* Culpa enim in re, quæ præstari debet, perpetuat obligationem, *l. si seruum. 91. §. sequitur. ff. de verb. Oblig.* Culpa autem verbo etiam moram intelligimus. *l. item si verberatum. 15. §. vlt. ff. de rei vindic. & d. l. si seruum. 91. §. sequitur. ff. de verbor. Obligat.* Semper autem moram faciunt, qui rem alienam mala fide possident. *l. vlt. ff. de condict. furt. & l. pen. ff. de vi & vi armat.* (c) *l. item veniunt. 20. §. vlt. ff. h. t. l. cum res. 47. §. vlt. ff. de legat. 1. & d. l. Item si verberatum. 15. §. vlt. ff. de rei vindic.*

## XLIX.

Dolo autem possidere & eum dicimus, qui dolo possessionem cuiusdam rei noluit admittere.

*l. Sed et si lege 25. §. Perinde & ff. h. t.* Illud tamen non imputatur prædoni, cur passus est debitores liberari, cum actionem non habuerit. *l. si quid. 31. §. illud. 4. ff. eod.*

## L.

Si tamen petitor ante adeptus sit, quod reus possidere desijt, officio Iudicis continetur, ut illud deducatur (a) cum bona fides non patiatur, ut idem bis exigatur. (b)

a) *l. Cum is. 44. ff. h. t.* (b) *l. Bona fides non patitur. 57. ff. de Reg. iur.*

## LI.

Similiter si res apud peritorem æquè peritura fuisset, non tenetur possessor eius nomine, (a) ut nec si ei res euicta fuerit. (b)

a) *Per l. si plures. 14. §. vlt. ff. depositi* (b) *l. pen. ff. de petit. heredit. & l. à quo seruus. 58. ff. de rei vindic.*

## LII.

Quòd si etiam res hereditariae sint factæ peiores, æstimationem earum quanto peiores sunt factæ, possessor præstare tenetur. (a) Vnde si quem sumptum facere debuit, nec fecit malæ fidei possessor, culpæ huius nomine rationem reddere iubetur. (b)

a) *l. Ei, qui partes. 54. §. vlt. ff. h. t.* (b) *l. Si quid. 31. §. sicut autem. 3. ff. eod. tit.*

## LIII.

De usuris itè fructuum perceptorum non extantium, sed consumptorum, (a) petitori tenetur possessor. Et quidem bonæ fidei



fidei possessor, præstat vsuras fructuum ante litem contestatam perceptorum, si ex his factus sit locupletior: Et horum fructuum vsuras præstat à die litis contestatæ, quo primùm sciuit rem esse alienam. (b)

a) De his enim fructibus, quæ hîc dicimus, intelligi debent, non de fructibus extantibus, quorum vt corporum vsura sunt nulla. l. 4. ff. de pact. dotal. & l. Eum qui. 18. in princ. ff. de his quæ vt indig. (b) l. 1. C. de petit heredit. l. illud. 40. §. Prado. & l. heres. 57. §. vlt. vers. Diuersa ratio. ff. eod. tit. Cuiac. in lib. 2. Respons. Papin. pag. 58. & seq. Donel. lib. 19. Comment. cap. 14. pag. 358.

## LIV

Malæ fidei possessor fructuum ante litem contestatam perceptorum vsuras omnimodò præstat, licet ex ijs fructibus locupletior factus non sit, & præstat horum fructuum vsuras etiam à tempore, quo eos possidere desijt fructus.

l. Eum qui. 18. in princ. ff. de his, quæ vt indig. & d. l. illud. 40. §. Prado ff. de petit. heredit. l. Neg, eorum. 15. ibi, quasi mala fidei possessori. ff. de vsur. Cuiac. in dict. lib. 2. Responsor. Papin. pag. 58. & seq. Huius conclusionis exceptus casus est in d. l. Eum qui. 18. in princ. vers. Sed Diuus. ff. de his, quæ vt indig. & in l. 1. C. eod. tit. Vbi malæ fidei possessor fructuum ante litem contestatam perceptorum vsuras præstat post motam litem. Donel. lib. 19. Comment. cap. 14. pag. 358. Existimat malæ fidei possessorem non præstare vsuras fructuum perceptorum, siue ante, siue post litem contestatam percepti fuerint, per d. l. Neg, eorum. 15. ff. de vsur. Sed error eius conuincitur ex d. l. Illud. 40. §. Prado. ff. h. t. n. & d. l. 1. C. de his quibus vt indign. & d. l. Eum. 18. in pr. ff. d. t.

## LV.

Fructuum autem post hereditatem petitam perceptorum vsuras non præstat reus, siue bonæ fidei, siue malæ fidei possessor sit.

d. l. Heres. 57. §. vlt. ff. h. t. de petit. heredit. & d. l. Neg, eorum. 15. ff. de vsur. Ratio est, quia fructus post litem contestatam percepti accedunt tantum officio iudicis. Accessio autem (qualis est vsura) accessionis non est. Cuiac. in dict. lib. 2. Respons. Papin. pag. 58. col. 2.

## LVI.

Vt consumptorum fructuum ante litem contestatam perceptorum, scilicet & preciorum rerum sterilium distractarum vsuras post litem motam præstare malæ fidei possessor tenetur, si petitor pretium potius, quàm res ipsas petat.

l. Item veniunt. 20. §. Hac aduersus. 12. vers. nisi fortè. & §. Quid si post 16. ff. h. t. n.

Quod



## LVII.

Quòd si possessor hereditatis pecuniam inuentam in hereditate non attingat, Papinianus negat, eum omnino in vsuras conueniendum.

*d. l. Item veniunt. 20. §. Papinianus. 14. ff. h. t. n.*

## LVIII.

Sequitur vt videamus, cuius rei gratia hæc actio moueatur. Mouetur autem in hunc duplicem finem: I. vt Iudicis sententia actor declaretur heres (a) II. Vt ei possessor hereditatem, cum eius accessionibus restituere condemnetur. (b) Vnde etiam hæc duo actor in libello petere tenetur. (c)

a) *Arg l. Et ex diuerso. 35. §. vbi autem alienum. ff. de rei vindicat. & l. sicut autem resectio. 8. §. Et siquidem. 4. ff. si seruitus vindic. (b) l. licet. 10. §. 1. ff. de petit. heredit. (c) Petr. Jac. Aurellian. in pract. libellorum Rubr. 125, Mynsing. Respons. 10. num. 9, Donel. lib. 19. Comment. cap. 14. in princ.*

## LIX.

Hoc loco in quaestionem venit, an mota de hereditate controuersia, ante litem contestatam possessor hereditatis cum debitoribus hereditarijs, alijsq; consistere, id est, iudicialiter experiri possit? Quòd si periculum erit, ne inter moras tempore vel aduersarij inopia intercidant actiones hereditariæ, potest ex sententia Papiniani bonæ fidei possessor eas mouere, (a) Sed malæ fidei possessor neq; ante neq; post motam controuersiam vllam habet actionem (b) Proindeq; nec bonæ fidei possessor post litem contestatam, cum post litem contestationem omnes possessores pares sint. (c)

a) *l. si bonæ fidei 49. ff. h. t. Cuiac. in lib. 3. quest. Papin. pag. 66. (b) l. Si quid. 31. §. pen. ff. eod. (c) l. Sed etsi 25. §. si ante. ff. h. t.*

## LX.

Petitor quoq; hereditatis, citra metum exceptionis præiudicialis, si possessor negligat res hereditarias, nec interrumpat vsucapionem, aut nihil se iuris habere sciat, id est, nesciat eas res hereditarias esse, quas alij possident, vindicare eas potest, (a) Quid verò de personali actione dicendum? Et hanc petitori competere ex eiusmodi aliqua iusta causa arbitramur (b)

a) *d. l. si bonæ fidei. 49. in fine. ff. h. t. Obstat videtur l. Si post. 13. ff. de Accept. De cuius legis intellectu neq; Cuiacij sententia lib. 19. Obser. cap. 27. neq; Donelli explicatio in loco hic proximè citato placet. (b) per tex. in l. Paula. 27.*



*§. vlt. ff. de legat. 3. & docet post Accurs. Cuiacius in lib. 3. quest. Papin. pag. 67. col. 1. At Donel. dissentit. lib. 19. comment. cap. 15. pag. 373.*

## LXI.

E contrario & illud hoc loco rectè quæri potest, possintne possessor & petitor conueniri ab alijs pendente iudicio petitionis hereditatis? Et constat hodie à creditoribus hereditarijs interim eos conueniri posse, nec esse exceptioni præiudiciali locum, si pendente lite creditores aduersus ipsos agant.

*l. vlt. C. de petit. heredit. vbi & illud additur, si exegerit creditor à possessore, & hic vincatur in hoc iudicio, posse eum, quod præstitit, repetere à petitore: Et si petitor sit victus, & soluerit, repetere id eum à possessore. Sin legatarij & fideicommissarij agant aduersus heredem scriptum petitorum vel possessorem hereditatis, præstita saltem cautione, eos admitti debere.*

## LXII.

Similiter si post litem de hereditate contestatam res singulæ vindicentur à possessore, placet non obstare exceptionem præiudicalem.

*d. l. Si post litem. 13. ff. de except. Quæ in lege neq. detrahendam putamus vocem, contestatam, neq. factum iudicium de sententia, siue re iudicata interpretamur contra Donel. lib. 19. comment. cap. 15. & Cuiac. lib. 9. obseru. c. 27.*

## LXIII.

Restat vltima inspectio de indemnitate possessoris. Indemnitas hæc duabus in rebus consistit: I. In periculo cautionis amouendo, si qua in re possessor reus, nomine hereditatis alicui obligarit se. II. In deducendis his, quæ possessor in hereditatem impendit, aut eius nomine soluit.

*Donel. lib. 19. comment. cap. 15. pag. 377. num. 30.*

## LXIV.

Si enim possessor cauerit damni infecti nomine, cauendum est ei vicissim à petitore. (a) Si item possessor re hereditaria distracta emptori de euictione obstrictus sit, prospici ei cautione debet. (b)

a) *l. illud. 40. §. contra quoq. 3. ff. b. t. l. Ipsi quoq. 19. ff. de rei vindic. (b) l. Item veniunt. 20. §. Sed et si ob venditionem. 20. ff. h. t. de petit. heredit.*

## LXV.

Impensas quod attinet, quas fecit possessor in hereditatem, si necessariae sint, bonæ fidei possessor eas imputare, & deducere potest omnimodò, licet res non extet, in quam eas fecit, Prædo autem eate-

nus



## DISPUTATIO XXII.

17

mus exceptione doli, vel officio Iudicis seruare has potest impensas, quatenus res, in quam factæ sunt, extet.

*l. si à domino. 36. §. vlt. & l. Planè. 38. ff. h. t.*

## LXVI.

Et si bonæ fidei possessor fructuum quærendorum, cogendorum, conseruandorum gratia sumptum fecit, licet fructuum nihil perceperit, ratio tamen huius sumptus in eo habetur.

*l. Quod si sumptum. 37. ff. eod. rit.*

## LXVII.

Vtiles si fuerint impensæ, bonæ fidei possessor imputare eas potest retentione per exceptionem doli, vel officio Iudicis, (a) At malæ fidei possessor neutro hoc remedio eas seruare, (b) sed tantum auferre potest, si absq; rei dispendio & læsione tolli possint. (c) Vnde & bonæ fidei possessori earum tollendarum potestas danda erit, si petitor nolit, aut non possit earum pretium soluere. (d)

a) *l. Sin autem. 27. §. vlt. l. Sumptus. 48. ff. de rei vindic. l. Qui sciens. 11. C. d. t. l. In hoc iudicium. 14. §. 1. ff. comm. diuid. l. si in area. 33. ff. de condict. indeb. l. Paulus. 14. ff. de except. doli. l. 1. C. de Infant. expos. & fac. l. Vtiles. 39. §. 1. ff. de petit. heredit. (b) §. certè illud. vers. Nam scienti. Instit. de rer. diuis. l. Ad eò. 7. §. Ex diuerso. ff. de Acquir. rer. dom. (c) *l. domum. 5. C. de rei vindic. l. Iulianus. 37. ff. d. t. Ant. Fab. lib. 2. Coniect. cap. 1. Sed obstare videtur d. l. Planè. 38. ff. de heredit. petit. Vide quoq; dissent. Cuiac. lib. 1. obseru. cap. 1. & in lib. 20. Pauli ad edict. pag. 299. & seq. (d) *l. Sin autem. 27. §. vlt. vers. nisi tamen paratus, & l. fundo. 38. ff. de rei vindic.***

## LXVIII.

Voluptuarias impensas bonæ fidei quidem possessor Iudicis officio rectè seruat. At malæ fidei possessor eas tantum tollit, si id commodè, & sine detrimento ipsius rei fieri possit.

*l. Vtiles autem. 39. §. 1. ff. h. t. & l. vn. §. Taceat in ea. vers. quod si voluptuaria C. de rei vxor. act.*

## LXIX.

Similiter si quid possessor nomine hereditario soluit creditoribus hereditarijs, id reputare potest, quanquam ipso iure non liberauerit hereditatis peritorem.

*l. Si quid. possessor. 31. in prin. ff. de heredit. petit.*

## LXX.

Suo autem nomine si quod soluit debitum hereditarium, id im-

yyy 2

putare



putare ita potest malæ fidei possessor, si cauerit, se defensurum petitor-  
rem, (a) Bonæ verò fidei possessor, si conditionem indebiti, quam  
habet, (b) petitori præstiterit. (c) Quo utroq; casu petitor, si à cre-  
ditoribus conuenietur, exceptione uti debet. (d)

a) *d. l. Si quid. 31. in prin. ff. h. t.* (b) *l. Si pœna 19. §. 1. ff. de condiçt. indeb.* (c) *d. l. Si quid. 31. in prin. ff. h. t.* (d) *d. l. Si quid. in fine prin. ff. h. t. n.*

## LXXI.

Quod si ipsi possessori ex hereditate quid debeatur, deducere id  
potest, si bonæ fidei sit possessor, (a) Malæ fidei possessor eatenus de-  
ducere debet, quatenus petitori expediat, id debitum esse dissolu-  
tum propter pœnam vel aliam causam. (b)

a) *d. l. Si quid. 31. §. iustus autem. 2. ff. h. t.* (b) *d. l. Si quid. 31. §. 1. ff. eod. tit.*

## LXXII.

Haftenus de ciuili hereditatis petitione. Possessoria hereditatis  
petitio est, quæ bonorum possessori, cui bonorum possessio data est.  
(a) competit aduersus eum, qui defuncti hereditatem pro herede, vel  
pro possessore possidet. Per quam hereditatis possessionem tantun-  
dem consequitur bonorum possessor, quantum ciuili hereditatis pe-  
titione consequi potest heres. (b)

a) *De bonorum possessionibus & bonorum possessoribus vide sub Classe 2. Disput. 12.* (b) *l. 1. & l. 2. ff. de possessoria heredit. petit. Carbonianus tamen bo-  
norum possessor hac actione non experitur. l. 3. §. Missum. 13. ff. de Carbon. edict.*

## LXXIII.

Fideicommissaria hereditatis petitio est, quâ heres fideicom-  
missarius, cui ex Senatusconsulto Trebelliano hereditas restituta est,  
agit aduersus eum, qui pro herede, vel pro possessore hereditatem de-  
functi possidet, (a) quæ actio eadem recipit, quæ hereditatis petitio  
ciuilis. (b)

a) *l. 1. & l. 3. ff. de fideicommissar. heredit. petit. & l. Ei qui. 54. in princ. ff. de petit. heredit.* (b) *l. 2. & l. 3. §. vlt. ff. de Fideicommissar. heredit. petit.*

FINIS DISPUTATIONIS VICE-  
SIMÆ SECVNDÆ.



Ka 3071

(3/4)

ULB Halle 3  
003 261 573




sb

Burblind. 3/1.









# Disputatio XXII.

DE  
RATIONE HEREDITATIS.

QUAM

*Divino auspicio,*

PRESIDE

ISSIMO CON-  
SIMOQUE VIRO,  
RICO BOCERO. I. V. D. EX-  
*Antecessore in inclyta Tubingensium Acade-  
mia celeberrimo, praeceptore suo  
colendo,*

RRII EXERCITII GRA-  
ore, locoq; solitis, pro ingenij tenuitate  
defendere conabitur

RINVS AMANDVS  
*Gabelchouer, Gracensis Styrius.*



TUBINGÆ  
*ad Georgium Gruppenbachium.*

ANNO M. D. C. uuu

